

S. b. 264

Rüffer · Jahr

J. VI, 887.

~~III. 1887. 10~~

83

EXERCITATIO
EXEGETICO-PHILOLOGICA
AD
PSALMVM XVI.

QVAM
IN REGIA FRIDERICIANA
PRAESIDE
GOTTLIEB ANASTASIO
FREYLINGHAVSEN
SVMME VEN. ORD. THEOL. ADIVNCTO
ERVDITORVM EXAMINI

PLACIDO
D. OCTOBR. C¹⁹ I⁹ CC LIL.
H. L. Q. C.

SVBIICIET
IOANNES ANDREAS FISCHER
CROPPENSTADIO - HALBERSTAD.

HALAE MAGDEBURGICAE
LITTERIS ORPHANOTROPHEI MDCCCLII.

16.

EXEGE^TATIO
ACADEMIAE CANTABERGIANAE

AD

LEONARDUM VENUTUM

GRATI

IN DUCIS EPISTOLIS A

GOTTHEBUS 1710

LEONARDVS VENUTVS

THESSALONICI

IDI

LIBRARIUS UNIVERSITATIS CANTABERGIANAE



§. I.

Quod laboribus affectis auctores debere videntur *Occasio et ser-*
fui, ut si res ferat, et quaedam opportuna hor- *pus scripta*
tetur occasio, in pertexendis absoluendisque
quae orsi fuerant, ponant operam, id ipsum
nos hoc tempore praestare constitutimus scri-
ptioni ante biennium, et quod excurrit, in lucem a nobis edi-
tae. Quae res ne forte ignoret L.B. sic se habet. Commen-
tabamur nonnihil eo quod diximus tempore in Psalmum de-
*cimum sextum, editoque *Schediarmate theologico-philologico**
(ira enim inscriperamus libellum) generaliora quaedam,
quae quasi in limine odae illius obseruanda essent, complexi,
*illustrationem qualemcumque subnecestabamus *commatum quin-**
**que priorum*. Itaque quae tunc illa scriptione persequi exorsi*
fumus, hoc tempore absoluere tanti fuerit. Quam ob rem
*inde exordiretur praesens haec *commentatio*, vbi prior illa*
subliterat, nisi verendum esset, ne si bene multis legentium,
illa superior scriptio ad manus non sit, his saltet opus quali
**arie* *Q&O* tradere videremur, quod genus nullam haber gra-*
tiam. Placet ergo huc potius, ea quae tunc in chartam con-
iceramus, referre, et simul nunc cum iis quae restant exami-

A

ni

EXERCITATIO

ni academico subiicere. Libertate tamen quod ad priora illa attinet nobis vti liceat ea, quae cuius auctori facile conceditur, hoc est, vt nonnulla hic vel vberius vel strictius reddamus, quaedam, id quod speramus saltem, secundis limatiora curis exhibeamus. Quo facto pergeremus ad ea, quae tum quidem nondum attigimus. Neque vero iustum ac plenam totius carminis sacri exegesin, rerumque ipsarum perrastationem prae nobis ferimus, quam maioris cuiusdam esse arbitramur et operis et ingenii; sed sufficerit sparsim strictimque ad ipsum contextum facrum talia monuisse, quae si docti visuque praestantes, a quibus discere ipsi cupimus, haud valde desiderent, tirones tamen, vel etiam mediocriter exercitati, non pro rorsus abiicienda existimant.

§. II.

Ex inscriptio-
ne Psalmi au-
ctor secunda-
rius ostendi-
tur. Antequam ad exponendam de scopo atque argumento Psalmi nostri sententiam prouehamur, veramque illius interpretandi hypothesis inuestigemus, non alienum fuerit paucis ipsum etiam *titulum*, quem, iam primitus illi odae praefixum fuisse credimus,(a) considerationi subiicere. Brevis ille quidem est, ac duobus duxataxat constat vocabulis. Quorum posteriori (liceat enim inde ordiri) *auctor* designatur, vt cum schola loquamur, *secundarius*, DAVIDES, sanctissimi Numinis interpres, atque vt ipse de se in emortuali illo carmine 2 Sam. XXIII, 1. *iucundus cantionibus* (sc. carminibus) *Israelis*. Solet quippe apud Ebraeos *Lamed* nominibus propriis praefixum satis frequenter *auctorem* operis innuere. Itaque vt v. c. Habac. III, 1. תְּפִלָּה לְחַבָּכוֹן non interpretarum orationem pro Chabacuco q. d. in vsu illius gratiamue siue etiam ad deprendandum pro ipso compositam; neque vero orationem de Chabacuco, (vt obiectum sc. argumentum significemus); sed orationem

(a) Alia enim est ratio huius et similium quae in Psalmorum volumine occurunt inscriptionum, quam earum, quae N. T. libris præfixæ sunt, quas non minus quam subscriptiones epistolis subiectas a seriore manu esse, nemo facile dubitat; quo minus mirum est easdem varie saepius & variis exhiberi.

AD PSALMVM XVI.

3

tionem Chabacuci h. e. quae ipsum hunc vatem habeat aucto-rem; ita vel in primis idem hoc in Psalmorum vsu venit titu-lis. Sunt qui ad explicandum dicendi modum tali comple-mento uti praecipient, ut v. c. *Psalmus Davidi sit Psalmus* (inspiratus) *Davidi et sic in aliis.* Quod si per se confide-retur, haud inepte dictum iudicet. Fuerunt enim viisque au-tores illi, quorum nomina his vel illis sacri codicis particulis praefixa sunt, *Davides, Moses, Salomo* (b) et si qui praeterea in hunc censum referendi sunt, Θεολατοι seu ut Petrina phras-i dicamus (2 Petr. I, 21) Φερόμενοι ὑπὸ πνεύματος ἀγία. Malu-mus tamen simpliciter hoc genus dicendi ad idiomata cum aliarum orientis linguarum, tum ipsius ebraicae referre, cum exempla praesertim in Arabum scriptis occurrant prorsus ge-mina, vbi ramen supplemento illi supra adlato vix locus est. Liber hoc loco illustringis confirmationisque causa non nulla subiungere, quae in hanc rem scripsit Vir Magnif. et summe ven. D. CHRIST. BENEDICT. MICHAELIS in disser-tatione de Soloecismo Casuum §. XII. Posteaquam enim plu-ribus exemplis σολωκάρες illud, quod in talibus dictiōnibus deprehenditur, exposuitset, haec addit: „Quaeris, quomodo „Soloecismus in his omnibus et multo pluribus exemplis amolien-dus sit? Supple modo pronomen ψών, qui, que, quod, quod „in his omnibus subauditum post se datum requirit, et vero „cum hoc elegantem apud Ebraeos facit genitiui periphrasis „Plenae locutionis exempla si desideras conf. Cant. I, 1. Nolē „porro civica constructionem hanc bacitare, cum et Arabes in libro-„rum suorum inscriptionibus eandem in delictis habeant, v. gr. „Onomasticon Meridianum pro Meidanii s. auctore Meridiani. „Haec tenus vir doctissimus. Est quidem, vbi ambigi queat, „auctoris ne an obiecti indicium sit idem in inscriptionibus simi-

A 2

liter

(b) *Mosis auctoritatē ac nomen diserte præfert Ps. LXXX. De Salomo-ni nomine, quod Ps. LXXII. in fronte gerit deinceps nonnihil admonebitur. Constat saltem et ipsum inter autores fuisse θεολατος. His etiam Assaphus, Jeduthun et Heman accensendine sint, nunc non di-sputamus. Adeat qui volet, b. 10. HENR. MICHAELIS præfate in Psalt. §. III.*

EXERCITATIO

liter nominibus propriis adhaerens praefixum, ac solet hoc praecipue in Psalmo LXXII. dubitari, cuius titulus est לְשִׁלְמָה. Græci metaphraſtae εἰς Σαλωμῶν h. l. habent, cum ebraeam syntaxin in aliis locis mero dariuo reddant, vel secundo etiam caſu vtantur. Sed vt cuncte de hoc Psalmo statuatur (neque enim de explicando illo rubro doctis interpretibus fatis adhuc conuenient); id quidem exploratum est, neque ex tali inscriptione obiectum Psalimi, indubie posſe effici (c) nec si vel maxime paſſim ea ſic ſit capienda, ad hunc illico, de quo quaerimus tranſerri id quidem posſe ac debere. Itaque quamuis rem ipsam facile adſentiamur pio atque cordato Psalmodiū interpreti BVGENHAGIO, odam hanc Christum canere; diſcedimus tamen ab eo haſtenus, quod hoc ipsum per illud יְהִי innui ac ſignificari existimat, ſenſu videlicet myſtico hic Christum Dauidis nomen habere reputamus, quale quid occurrit Ezech. XXXIV, 24. Saltem quo pacto id cogitatum optimi viri aduersus negantem quemuis teneri queat, ob frequentiam illius quod antea declarauimus idiomatici fatemur nos non intelligere.

§. III.

*Quid vox
מִתְחָדֶשׂ
in titulo
designet?*

Supereft, vt de altera, quam *titulus Psalmi* exhibet *voce מִתְחָדֶשׂ*, verbum addamus. Atque hic, quamquam non inter omnes omnino conueniat quid ſibi velit id vocabulum (d) non grauitat in eorum ſententia adquiescimus, qui ad commendandam carminis praeftantiam id nominis pertinere autuant, ſive a voce מִתְחָדֶשׂ qua *aurum* (praeftantius) notatur ſignificationem arceſtas adeoque pro ſubſtrata re, *aureum carmen* (e) interpretere, ſive ab ipſa radicis a qua & מִתְחָדֶשׂ deriuatur ſignificatione, vt generatim res quae abdi et dili- genter

(c) Id quod obſeruatum etiam vides in *Institutionibus Hermeneuticæ ſacrae vernaculaſ Viri ſumme Vero D. SIG. IAC. BAVMGARTEN* p. 50. not.

(d) Idem מִתְחָדֶשׂ occurrit etiam Ps. LVI-LX. et Iudeorum magistris R. Sal. et A. b. Elſa pro cantici ſ. melodiæ genere habetur.

(e) Si res per ſe clara et plurium linguarum vñ trita lucem desideraret fa-

AD PSALMVM XVI.

genter (ob praestantiam) occultari solet, (*μηδίλον* grece dixeris) significetur (f) seu denique vtrumque coniungas et auem cimelium vertas. (g) Et merebatur sane eximia haec ode vel titulo quodam ad piam et frugiferam meditationem et quasi custodiām religiosam lectoribus commendari. Habet enim ea id argumentum, quo summa mortalium salus continetur, quo proinde nullum deber esse carius. Potuit etiam, yr hoc addamus, ipsa carminis ratio et forma longe pulcherrima eo nomine praedicari, neque haec quasi quaedam proprii operis laus virio statim danda esse ei auctori qui *linguam suam* alibi (P. XXXV, 2.) non nisi *graphium* esse proficitur *peritii scribae* i. e. Spiritus S. Largimur tamen facile priorem rationem potiorem videri et vel per se solam sufficere. (h)

S. IV.
Verum non haeremus in limine diutius, sed quo nos Partitio ta-
diuina rerum in hoc sacro carmine latentium excellentia vocar, tuis tracta-
intro pedem inferimus. Ita autem partiemur tractationem
nostram, ut primo generatim quaedam in medium adfera-
mus quae ad scopum atque obiectum verum dictorum indagan-
dum faciant, ac deinde ipsum textum sacram obseruationibus
nonnullis illustrare studeamus.

Quod ad *primum momentum* attinet de quo nos expo-
sitos ostendimus, videtur non ad opinionem modo posse *Psalmus agit de Christo.*
A 3 sed

cile hic ex profana antiquitati aduocare possint ea quae feruntur ΠΥ-
ΘΑΓΟΡΟΥ ΧΡΥΣΕΑ ΕΠΙ de quibus adi 10. ALBERTI FABRICII
Biblioth. graecam L. II. c. 12. p. 459.

¶ Ita placet Clarissimo IO. SIMONIS in *Arcano Formarum* p. 501. cf.
de significatu τε **נַחַת** BOCHARTVM *Geograph.* P. I. l. 3. c. 5. p. 181.
¶ Cum b. IO. HENR. MAIO in *Supplm. ad Lexicon Cœcic.*

(h) Consulto a nobis supersessum est examinandis LXX et vulgati inter-

pretum versionibus quorum illi εὐλογεαφίαν, vertunt hie e-

videtur, tituli inscriptionem. Qui quorsum respexerint difficile est pro certo dicere pariter ac quid Chaldaeo in mente fuerit venturā

vid. BUXTORFII Lex Chald. et Iam. p. 443.

sed ad veritatem cuilibet non vltro oculos claudenti persuaderi, CHRISTVM esse futurum (eo quidem tempore) orbis hospitatem, quem noster multis cum aliis canat Psalms. Quodsi enim characteres veri subiecti in sermonis prophetic contextu consideremus, non defunt vestigia, quae attentionum scrutatorem et ab impedimentis vel praui animi vel iudicii praecipitis liberum in certam ducant interpretationem. Neque enim in omnibus huius Psalmi effatis vltum se obiicit praedicatum quod non aptissime illustri huic subiecto de quo omnes vates ac praefertim in Psalmis Davides copiose loquuntur, Messiae (secundum status diuersos considerato) se deat. Et quamquam sint nonnulla quae in corpus Christi mysticum hoc est fideles iridem cadant, id tamen non mirandum est atque insolens in Scriptura, neque securum iniicere potest ei interpretationi quae de capite potius ipso accipit totam hanc oden prophetamic, in quod saltem comma X, praefertim luce N. T. collustratum, rectius vnice transfertur.

§. VI.

Idem ex N. T. testimonio stabilitur. Quodsi enim Noui Foederis tabulas consulamus, videmus Petrum pariter ac Paulum, eodem quo Dauides quondam ferebatur actos Spiritu, suo idem testimonio confirmare, ita ut rem aleae eximant dubitationis. Quam posteriorem probandi rationem nolim cuiquam in suspitionem adduci, nec satis videri ad perfaudendum habere roboris. Quamquam enim nec vacat hoc loco nec lubet illud examinare quod a quibusdam dici solet, scriptores sacros N. T. oracula V. T. hic ibi ita allegare, ut verba istorum referant quidem, caeterum in aliam prorsus sententiam eadem accipiunt ac possint commode, si suis in locis inspiciantur, explicari: id tamen fidenter affueramus, hoc ad geminum quod excavimus testimoniorum applicari non posse, si vel maxime in aliis verum sit; quae res quia oculis iudicari potest, haud videtur hic pluribus disputanda.

§. VII.

§. VII.

Nec vero est quod Psalmmum hunc nostrum suspicemur *Agit directe*
 applicatione tantum mystica (vtut non arbitrarria sed a Spi-
 ritu S. intenta) ad Christum trahi, proxime autem et di-*Psalmus.*
 recte res Daudis canere, cuius quidem antitypum fuisse con-
 stet Messias, illius adeo progenitoris sui passim ut supra
 diximus nomine a variis insignitum. Quamvis enim eius-
 modi quid alibi obtineat: (i) id tamen in nostro hoc varici-
 nio adeo non est necessarium, vix ut illo pacto fieri et ad-
 mitti posse videatur. Etenim (vt alia nunc taceamus) sicuti
 Paulus Act. XIII. cum *decimum Psalmi nostri versum exci-*
rasset, subiicit: Dauides quidem - obdormivit, additusque
ad maiores suos corruptionem passus est: at qui a Deo exci-
tatus est (is vero Iesu erat Nazarenus) minime ille cor-
ruptionem subiit: sic nisi a clarissimo hoc ipsius Spiritus S.
indicio avertere oculos voluerimus, non poterimus reliqua
ad Davidem trahere in quem ista quae ex media oratione
sunt, et tali quidem quae omnibus partibus apta et cohae-
rens est, conuenire negantur. Recte etiam obseruatur,
phrasin Psalmi sacerdotis personae, quae Daudi non com-
petit, vnicce passim conuenire; qua de re plura forte de-
inceps.

§. VIII.

Si generatim et uno velut obtutu Psalmum hunc eiusque *Argumentum*
oeconomiam lustremus, quod in aliis qui similis argumentum tum Psalmi
*sunt observatur, idem in hoc nostro deprehendimus, nempe *generatim**
duplicem velut actum in hac sanctissimarum rerum scena arcta _{sub conspe-}
coniungi confundique, tristiorum alterum, alterum laetio _{dium subiit}
citur. Nam qui *passionales* vulgo dicuntur *psalmi* ita ex
*lugubri ac moesto partim, partim ex laeto et quasi *παρέγη-**
σιασινῷ dicendi genere mixti ac temperati esse solent, ut
mirabilis sit in hoc ex illo transitus, iucundam euentuam
ipforum

(i) In quem censum non male referre videmur *Psalmum duodecimum*,
 idque non modo ob titulum, verum etiam ob ea quae com. 24.
 et 30. habentur; quamvis nonnulli sunt, qui et hic in alia omnis-
 cent.

ipsorum fatorumque Christi imaginem exhibente ipsa poetatis informatione et tamquam structura. Conferat qui exemplum requirit priorem partem *Psalmi vicefimi secundi*, quae ad comma XXII. protenditur cum altera a commate XXIII. numeranda arque ad finem usque decurrente. Videbit *ibi* luctantem, grauiissimisque vndique cinctum perpessiōibus, *bis* ex tristi repente laetabundum ac triumphantem; audiet, *ibi* quidem voces flebiles, angorum animi et summae *αόγυρος* indices, *bis* merum paeania, suauissimumque, ut post exhaustam incredibilem malorum vim hostesque triumphatos, epicium. Bisariam idem *unde-septuagesimus Psalmus*, passionalis et ipse dividitur, cuius principio cum nihil fieri queat lamentabilis, extrema tamen pars spei gaudiī in sanctissimo Christo pectore exsuperantis locupletissime habet testimonia. Vix erit, quem hoc ex numero eximas, praeter unum *Psalmum LXXXVII*, in quo laetioris clausulae comparer admodum nihil, quem eundem tamen cum *SAL. TILLIO* ad vaticinia de Christo referre non dubitamus; prout id etiam pluribus argumentis confirmat b. AVG. HERM. FRANCKIVS *Introduct. lat. in Psalmos* p. 870 sqq. Caeterum quod comparatio cum iis maxime quas diximus P̄fālmis docet, obseruamus in hoc sexto *supra decimum* magis complicatam magisque velut abditam ac retrorsum esse perpessiōnum mentionem, potiorem autem partem longius a demissae et querulae supplicationis indole abesse. Et tamen ipsum exordium praefentissimum et grauiissimum innuit quod Christum cingebat, periculum, quod hanc vocem exprimeret, *Custodi me Deus*, cuius vim qui de minifuroribusque hostium Domini cogitauerit, rectissime plenissimeque adsequetur.

§. VIII.

Psalmus habet schema orationis Ac sicut illa in sacris his oraculis non secus arque in aliis operibus suis conspicua πολυπονίας σφύτα τοῦ Θεοῦ (Eph. III, 10.) non una ratione vtitur in informandis de Christo vati-

AD PSALMVM XVI.

vaticiniis, (^k) ita hac praeferim in Psalmis frequentissime, quae ipse ut Messiam ipsum loquentem orantemque sisstat. Quod si Christo trahi auctore b. LVTHERO nostro (¹) ex eo capite Psalterium cui libet homini christiano longe deber esse carissimum, quod ibi non acta solum ac fata dilectorum Dei habeantur, verum et voces supplicationesque et verba, quae de affectibus ipsorum, de indole animi, de modo cum Deo agendi tententur: quanto pluris diuinissimus ille liber dulcissimusque ab omnibus qui Christum amant, eique omnia summa tribuunt, fieri debet eo nomine, quod sanctissimos optimi seruatoris animi motus in verbis eius expressos cernere ibi liceat et contemplari; quos quidem a quoniam artifice feliciter rectiusque effingi posse arbitrabimur, quam a Spiritu Filii? Ipsae Noui Instrumenti tabulae eaque illarum pars, quae acta ac res gestas Christi in terris refert, pauciores Domini orationes haber; siquidem si a brevioribus suspiris discesseris, vix iusta precatio exstaret vila, praeter eam, quam Ioannes c. XVII. exhibet, alioquin etiam reliquis vitae Christi scriptoribus vberior in referendis eius sermonibus.

§. X.

Iam quemadmodum ipsa haec oratio, Ioanneo stilo ^{Eft} ^{Oratio} consignata, iure *sacerdotialium* Christi precum nomine adsciri ^{SACERDOTALIA} tur: sic qui eodem titulo hunc nostrum Psalmum inscriberet, ^{LIS MESSIAE} minime ille quidem a vero aberraret. Sacerdotis enim personam perpetuam orantis sermo tueretur, maxime autem quae v. IV. V. et VI. leguntur, declarant; quippe quae ex legibus sacerdotii typici optime posunt explicari. Magna est etiam similitudo et conuenientia inter utramque orationem, illam quam Ioannis stilo orbis deber, quae a *Domino* cum hominem induisset, et iam a passione et morte hilastica

B

proxim-

(k) Modo enim diuinam Patris personam inducit Scriptura, de Messia, filio seruque suo loquenti, modo ecclesiae partes tribuit etc. Siluanum exemplorum vel vnu Esaiae vatis liber dabit.

(1) In *praelestionis in Psalterium*, cedro digna.

proxime abesset, dicta fuit, atque hanc *Dauidi* multo ante
προνομούσεν ἐργαζον dictaram a *Spiritu Christi* qui in eo erat
1Petr. I, ii. Quam rem qui pluribus confirmata documentis cognoscere desiderat, aedat Viri summe Ven. D.
GOTTHILF AVGVSTI FRANCKII *Programma paschale* Frierianae nomine editum a *cōlocCCCXVIII.* quod in *Pentade* programmatum *ipsius* principem locum tenet.

§. XI.

*Transitus fit
ad partem
alteram scri-
ptionis.*

His ira vniuerso de Psalmo disputatis, quod erat in proposita tractatione alterum adgredimur, ad ipsas carminis scripti sententias verbaque adlaruri nonnulla, quae ad uberiorum rerum ipsarum meditationem viam quodammodo munire, eamque iuare queant. Quia in re aequi bonique scriptiōnē hanc nostram consulant lectores, si intra eum modum easque regiones substiterimus, quibus ineunte disputatio (§. I.) operam descripsimus.

§. XII.

*Illustrantur
nonnulla in
commate
primo
ab initio.*

Prima igitur sanctissimae supplicationis verba, quibus adfatur patrem, passiones imminentes animo suo proponens Meffias, haec sunt: *Custodi me Deus, quia in Te fiduciam p̄fui!* Sententia facilis est, nec operosam inuestigationem desiderat. Afferemus tamen nonnulla quae ad proprietatem et *ἐμφῶν* sermonis authentici declarandam nonnulli facere queant. Et in *prima* quidem exordiali formulae *particula*: *Custodi me Deus!* nomen diuinum **Ἄντις** e caeteris hic electum (vti et *PL. XXII, 2.*) de *robore ac fortitudine*, quae in Deo summa est, cogitare nos iubet, qua ut in se seruando tuendoque utatur pater, in *ἀδελεῖς* illa (*2Cor. XIII, 4.*) vltro suscepta constitutus orat Dominus. (m) Neque enim

(m) Itaque hue etiam respexerunt graeci interpretates **AQVILA** & **THEOPH.** cum gracco vocabulo *ἰχθύς* hebreum exprimunt. Ipsum vero **Ἰχθύς** a Philologis et Theologis (cum nomina diuina explicant) ab **אֱלֹהִים** s. **אֵלִים** deriuari quidem plerumque solet: sed inuita grammatica,

AD PSALMVM XVI.

ii

enim displicant nobis, qui delectum quendam *nominum diuinorum* in sacris obseruari iubent, quorum quidem ad rem substratam χέσις et relatio, praesertim in locis quibusdam patheticis manifesta est. Est etiam in altero membro de verbo חסנה, quo Hierop saltus virtutur, aliquid monendum. In quo quidem, ea quae vulgo subiicitur notio fidendi nativa ac propria minime videtur. Quod enim in plerisque aliis Hebraeorum radicibus ostendi potest, *primas illarum et nativas ideas*, haudquam esse rerum in sensu non incurrentium, (scilicet logicomorales) sed potius quae sensu percipientur, (velut physicas res et mechanicas) nomina sibi propria deinceps cum iis, quae ab sensuum consuetudine abducta sunt, communicasse; idem, si conjecturae locus est, in hoc verbo obtinet. Rem acu tangere videntur, qui ei motum (corporis) ad terminum quendam, seu principem conceptum subiiciunt, et hinc τὸ κόστον configere s. recipere se aliquo interpretantur. Quando ergo ad animum hic transfertur eiusque veluti motus, imago elegans et similitudo subest, quam explicare licet vel Salomonis illo: *Turris validæ est nomen Domini, quo se recipiens iustus tutus est*; vel hoc Davidis: *Aio, apud Dominum per fugium et propugnaculum meum*, Prou. XVIII, 10. Psalm. XCII, 2. Neque obstat iis, quae de propria potestate verbi huius diximus, syntaxis eiusdem, cum quidem ב præfixum post se habere solet. Est enim haec constructio sylleptica scilicet prægnans, qualis verbi causa in illo Esiae nomine ב. contra me; cum in vitroque exemplo simplex verbi recedunt, contra me;

B 2

con-

(בֵּית־דָאַלִי cum vocalis illius passim abiicitur (v. c. 1 Reg. XVI, 34. in

adeoque pro *impura* (vt artis vocaliulo vtamur) haberi nequeat. Quam ob rem ad finis potius radix אלה adsumenda fuerit, a qua nom. לא (perinde vt בְּנָה et plura a similibus הַנִּי oritur.

Huc אלה eadem que cognatis illis אֹל et לְאַי fuit notio, a qua deinceps et illa *irrandi*, que secundaria est, fluxit. Fit enim, ut epist. ad Hebr. c. VI, 16., sis βεβαιωτε ὁ ἔργος,

constructio Σ potius postulasset. Simili ratione verbum $\pi\kappa\mu\eta$ vt alibi, ita et nostro in loco cum Σ iunctum, et tendentem ad Deum fiduciam et in eodem suaviter requiescentem recumbentemque innuere videtur. Comparanda videlicet, quae in theologorum scholis de diversa fidei indole disputari solent; prout illa nempe, vel ut in motu constituta er tendens *ad* obiectum suum, vel ut adquiescens *in* eodem, eoque nitens, concipi potest; id quod propior ipsius fidei in creditibus consideratio confirmat. Vid. b. D. LANGII *Oecon. Salut.* p. 356. Posset hoc loco haud incommodo de discrimine atque conuenientia fidei disputari, quatenus ea hominibus per ipsam fervandis, et quatenus Christo, fidei et salutis $\alpha\chi\tau\gamma\omega$ competit, nisi ne id nos longius ab instituto seuocaret, esset verendum.

§. XIII.

*Continuatur
eiusdem com-
matis consi-
deratio.*

Si in ipsam rerum meditationem, quae sub simplici verborum integumento latent, grauissimarum, nos immittere vellamus; et de custodiae diuinae beneficio a Christo hic expetito, et de eiusdem fiducia, multisque vtriusque rei documentis longe plurima differi possent, componendaque foret cum nostri textus breuitate aliorum locorum vberras; (⁽ⁿ⁾) sed sufficiat nunc digitum, vt aiunt, eo intendisse. Ad nexum autem qui inter vtrumque membrum intercedit declarandum faceret, si quis prius (i. e. petitionem) instar conclusionis cuiusdam fibi repraesentaret, minorem autem in posteriori membro statueret, maiori propositione, quae quidem supprimitur, suppleta; quam forte verbis Psalmi XXV, 3. leuiter immutatis sic optime exprimeres: *Quisquis Deo consilus est ab eo (non defertur sed) custoditur* (ac defenditur). Plura in precibus sanctorum obseruare licet *sancroris* cuiusdam, si licet ira loqui, *Logicae* specimen, *syllogismos* vt quidam vocant, *fidei*. Notius est quam ut multis declaretur exemplum quod Ps. XXVII, 8. 9. habetur. Simile quid aliquando visi nobis sumus

(n) Vid. e. gr. de custodia Ps. XXXIV, 21. XCII. fere tot. etc. de fiducia auctem Messiae Ps. XL, 1. sqq. XXII, 10. 11. etc.

fumus deprehendere Ps. XII, 6. 7. 8. ut alia mittamus. Quodsi fundamentum hoc modo et quasi medium terminum, quo in petitione sua vritur Dominus attentius consideremus; eaque fiduciae experientia arque exercitia, quae nostra caussa vltro subiit contempletur, amplissimus fese piae meditationi aperit campus. Liceat huc referre illud scriptoris sacri Ebr. V, 8. *Quamquam filius essem, didicis obedientiam* (addimus ex nostro oraculo) et fiduciam. Iam nec exemplum supplicationis Deo gratae nobis deest (haec videlicet placet cuius anima est complectens promissa Dei fiducia) nec spes, valituras nostras preces, postquam sponor noster hoc modo orans, a Deo exauditus est. Sat sapienti! is autem vere sapit, qui magnalia Dei in Christo, ut par est, aestimat.

§. XIV.

Quae primam hanc compellationem excipiunt, et altero Observantur inciso continentur, paulo plus difficultatis habent, quod vel quaedam ex diuersis illis, in quas optimos interpretes scindi videamus, ad com. sententiis appareret. Et b. LUTHERI quidem versionem longius hic a fontibus recedere, simulatque hos adhibueris, in oculos incurrit. In primo enim membro τὸ ΑΜΡΑΤ prima persona, vt cum grammaticis loquamur reddidit, cum pro eo quod hebraica forma vult, debuissest secunda. Fecit ὁ μανελτης vel ideo, quod apocopen litterae (') subesse ratus est, (ο) vel quod perspicuit et concinnitati orationis germanicae inservire, quam litteram premere maluit. Si enim ita conuerteret: *Du hast gefaßt zu dem Herrn*, vix suspicari lector poruisset non Deum hic, qui antea, sed suam ipsius animam a Christo compellari, id quod hebrisce scienti facilius saltem est ad intelligendum, cum in hanc sententiam vestigio generis debilioris queat duci. (p) Enimvero illa: ΑΜΡΑΤ λιθωτος fiad B 3

(c) Qualis quidem apocope analogia exemplorum certa vix videretur comprobari posse. LXX seniores itidem habent στρα τῷ κυρίῳ, quorum autoritatem interpres noster post vulgatum saepe in versione sua sequitur.

(v) Cum existeret non ΑΜΡΑΤ sed ΑΜΡΩΤ Cf. Ps. XXXII, 6. 12. simile foliolum Davidis.

EXERCITATIO

si ad patrem directa putes, quantae deinde tenebrae toti offenduntur sermoni, quia facile in oculos incurrit, nihil attinet perseguiri. Tolerabilius, nec tamquam omne punctum ferens eorum hypothesis est qui dialogisticum orationis genus subesse rentur, verbaque haec cum sequentibus patri tribuant; quae 10. COCCEIO in Comment. ad b. l. placuit. Quae vero primo loco posita est sententia, nobis se potissimum simpliciter sua commendat.

§. XV.

Continetur in idem comm. disputatio. Quod ad reliqua artiner, טבְּחַת בְּלָעֵל, versa sunt ea ab LUTHERO nostro liberius: *Icb muss um deinet willen leiden;* haec enim nunc usi recepta est formula, pro qua aliam ipsi LUTHERO initio placuisse B. GEIERVS ad h. l. auctor est. A priorilla non multum, si sensum spectes, recedit SEB. SCHMIDIVS ita conuertens: ad *bonum meum* (s. felicitatem meam) *quod attinet, non est illud (illa) mibi propter Te.* Non immoramus recensendis et examinandis diuersis diuersorum cogitatis, quod non esset consilii atque instituti nostri, nec, quod candoris nostri est, dissimulabimus, nos ipsos ancipiit quodammodo cogitatione in hoc loco distractos teneri, nec satis audere quidpiam, quod prae reliquis omnibus vnicervum sit demonstrare; quamquam re non indiligerenter pensata. Quantum fieri potest, paucis quae dicenda habemus complectamur. Vox טבְּחַת vel

I. *Bonum Messiae notare potest, quod ipse mortalibus peripit, χάρεις καὶ αἰλούθεια ἡ διὰ Ἰησοῦ.* Io. I, 17. vel vt Paulus Eph. III. 8. πλέοτος χριστός. s. complexus omnium charismatum gratiae et forensis et medicinalis, cum ipsa aeterna felicitate. Si his sensus supponitur ac

a) propositio pro negativa habeatur, sensus erit, ad Deum patrem (proxime) *non pertinere* s. ad eius commoda, ad beatitatisque, quae in illo summa est, incrementa non redundaturum *bonum Christi.* Si ita capias, facilior erit huius cum sequenti versu conexio,

nexione; nam tum rationem concessiui membra haec verba haberent, sequentia ~~anodora~~ h. m. ad Te (quidem) non - (sed) ad sanctorum mea bona pertinent. Id modo amplius considerandum fuerit, quid attinuerit, quod h. m. negaretur, commemorari, quippe cum nimis per se luceat. Quodsi autem seruato adhuc isthac subiecti sensu quem diximus

b) interrogationem conciperes et affirmatiuam sententiam propositioni subiiceres, (h. m. bonum meum nonne ad Te pertinet?) respiciendum forer ad ultimum beneficiorum Christi et partorum et praefertim perceptorum finem atque euentum, h. e. divini nominis illustrationem. Vel

II. Bonum Christi id significare potest, quod ipse (saltem proxime) pro se ac sua persone experitur et rogaſſe cœfundens est, pro illo humilitatis et exinanitionis statu, id vero est, ut eximeretur contumeliis, cruciatibus, morti etc. Atque hoc sensu si interpreteris vix alter capi possunt quam per modum patheticae interrogationis negative expressae, in qua vim adſirmandi inesse eamque fortiori rem tralaticium est. Vnde iam haec emergit sententia: **Bonum Messiae** i. e. eorum quae modo diximus effectiōnem Deo patri **incumbere** (ex foedere) et ab eo iure quodam exspectari. Hanc enim in particula **h**y vim inesse, pluribus exemplis, si opus esset doceremus. conf. 2 Sam. XVIII, ii. Ps. LVI, 13. Ezech. XXXXV, 17. Vel sic verte, eodem fere senti aut facile conciliando: **Bonum meum nonne ad Te pertinet**, ad Te redundabit? (collato Gen. XVI, 5) h. e. si opem mihi tuleris precesque exaudiueris meas, id Tibi vtique amplum et glorioſum erit.

§. XVI.

Iam quod Messias animo haec ita, ut vidimus, proponit Eadem obſer-
ſuo, non id sine cauſa fit. *Dixisti*, ait, iam pridem vide-
runtur,
licet,

licet, animam compellans suam. Q. d. Non est quod te eius quod es professa poenitentia etc. Haec, inquam, talia in ipso articulo, cum angeloribus animi vnde cinctus esset, et tantum non oppressus, sibi fuggerit, ne malis cederet vnde ingruentibus (El L, 5.7.) sed contra audientior iret, et etiam nunc fiduciam reponeret in eo, quem יְהוָה vocat, h. e. si etymologiam premamus, *Basis* omnium et iuvarum grande columnum rerum, vel ex vsu vocis *Dominum*; cuius quidem ipse, summa ultra serui forma, seruus esset (El LIII, 13. Phil. II, 6. sq.) Non vult sibi excidere ex animo, Dei causa quam cum sua arte coniuncta sit, quo magis illum sibi adfore confideret.

§. XVII.

*Fit progressus
ad commu-
tertium.*

Si ex ipso precantis ore discere velimus *bonum suum*, qua ratione potissimum *ad Deum pertineat*, ita ille quidem committit *tertio edifferit*. *Respectu sanctorum* (s. quod ad sanctos attinet (q)) qui in terra sunt, etc. Fideles sine dubio nominibus hisce splendidis ornari et quasi commendari patri Dominus, quae in ipsos cadere non nisi eorum respectu possunt, quae suo, Seruatoris, beneficio adepti sunt. Itaque non quales inuenierit, sed quales fecerit effectque factura gratia, splendidae illae voces laudesque significant. Cum enim prorsus alioquin vniuersale sit iudicium quod de mortalibus Deus fert, quando prospectans quasi ex arce caeli, omnia illo omnisciencie oculo lustrat; Pf. XIV, 2. 3. *Omnes recesserunt* (r) putidi

(q) cf. de *vñ r̄g 5 NOLDIVM Concord. Particular.* p. 405. sq. Posset eriam, quae COCCERII sententia est, pron. נַחֲלָה intelligi (coll. v. 8. simili ellipsi) vbi נַחֲלָה valeret quod antea נַחֲלָה.

(r) Scil. a recta et regia via (verac sapientiae ac iustitiae) prout ex Magistris, Elfrido et Kimchio non male explicatur a b. D. MICHAELIS in *Notis r̄berior* ad h. 1. Caeterum (quod ὡς οὐ περὶ διέλυτον sit) aliam quandam metaphorarum declarationem WOLFIVS ad Rom. III, 12. assert ex *Praelection. MSS.* OLEARII (quamquam ea adeo noua et inaudita non est, vt forte WOLFIO vñsa, quippe iam a GLASSIO in *Orat. de Lingua Hebraea laudata*,) quod nempe ad vinum in vappam abiens

tidì quasi ac foetidi euaserunt cet. Frustra quaerereres, quos ex hoc censu eximeret naturae quaedam melior indoles. *Nemo* hoc in numero ut cum poetis loquamur, e meliori fictus luto est.

§. XVIII.

Caeterum si ipsa quae hic cumulantur nomina spe^ctes, *Speciales* eadem animaduertes in Scripturis Christo ipsi (sensi quidem *quae am de* eminentissimo) tribui, vid. e. gr. Luc. I, 35. Ps. LXXXIXI, 4 *ipsiis verbis* EC. XXXXII, 1. *Ista vero nomina, sicuti acceptam a patre gloriantur.* *textus obser-* riam, (Io. XVII, 22. Apoc. III, 21.) atque adeo ipsum patrem (Io. XX, 17.) cum his communicat, quibus pro *εξετάζει* a patre concessa *vitam erat aeternam daturus.* (Io. XVII, 2.) *Hi ve-* rissime sunt *לָדוֹת שְׁמַיִם* (Ier. XXXI, 20.) quibus *delectatur* creatrix illa *sapientia*, ut ab se atque *in se* *creatis* spiritualiter Prov. VIII, 31. Eph. II, 10. 2 Cor. V, 17. Hic ille *rus iuuentu-* tis, quem nasciturum *ex utero aurorae* Daudes alibi cecinit (Pl. CX, 3.). Hoc infiniti praemium laboris et *aerumnæ*, *ex* qua (*eluctatus*) *adspexit* dulcissimo satiandus erat *iustus* ille ser- vus Domini El. LIII, II. Ita autem de illis loquitur Seruator, ut cum gloriari ipsiis tributam commemoret, simul tamen statum *ταπεινώτερος* et *παρωντας* (Phil. III, 21. 1 Petr. I, 17.) in quo adhuc dum, quo ad in terris agunt, constituti sint, innuat. *Eo etenim spectat*, nisi fallimur, additamentum sane non otio- sum *qui in terra sunt*; quod recte interpre- tes quidam cum verbis quae Io. XVII, 11. leguntur, conferunt, *vbi non sum equidem amplius in mundo*, Christus ait, *at illi sunt in mundo*, etc. Negatse in mundo esse Dominus etiam tum, cum adhuc suorum oculis cerni et contrectari manibus posset, (1 Io. I, 1.) ita videlicet loquens, *quasi iam esset gloriofi gau-* *dit*

C

abiens seu fugiens, aut potum alium vitium trahentem respiciatur. Qui- bus auctoribus et analogia fuit sequentis **תְּלָא** quae radix Arabibus est in *acorem verti*, et de cibo usurpatur, nec ab ludit notio **רְוֵר** quo verbo etiam vni nobis videntur ebraici de re que ab nativa indole ac bonitate sua desiscit, quod colligimus ex Ier. II, 21. *Ibi enim* **כָּרִים** *sunt degeneres*. (palmites).

dii illius, post humiliationem ultimam *propositi* (Ebr. XII, 2.) particeps redditus, nil moratus interiectum acerbissimarum perpeccionum interuallum ut *βέαχε* n. (Ebr. II, 9.) Sunt equidem qui ad angelos, quasi ad *sacerdos* qui *in cœli* sint, respici auctores sint, sed longius id petitum videtur, praesertim cum nulla in toto Psalmo angelorum mentio iniiciatur; illud autem magis adhuc *ἀποστόλον*, si quidam malos genios in infernum detrusos his tacite sanctis in terra degentibus opponi sibi persuadeant.

§. XIX.

Pergitur
ad comma
Quartum.

Tristioris argumenti est, qui sequitur *versus IV.* Aliud enim genus hominum describit, quam antea commemorationum fuerat, neque Messias gaudio fururum et delectationi, et sibi met ipsi oneri atque extio, miseros illos in nullam sortem bonorum Domini admittendos, idque non confiso quodam Dei, ineluctabilem secum necessitatem ferente, sed sua ipsorum culpa, siquidem qui vnicum illud piaculae sacrificium Messiae reiiciunt, nulla his alia remanet victima. Ebr. X, 26. In *prima propositione* commatis huius, (quae accentu Merca Malpachato terminatur) generatim et ellipsis τε ΣΑ frequentis etiam alias, obseruanda est ante verbum מחרו, et transpositio extremonum propositionis ex affectu oriunda et orationi maiorem quandam εὐέγειαν et δευότητα concilians, quod simulac verba in naturalem ordinem redegeris, tacita comparatione instituta patet; quam in rem conf. B. RAMBACHII *Hermeneut.* Sacr. p. 250.

§. XX.

Quid
significet.

מחרו In subiecto huius propositionis dubios praesertim habuit interpres vox ηλλάς eiusque vera significatio. Triplex ut rem paucis disputemus, via se offert. Vel enim 1) *festinandi* vel 2) *dotandi* vel tandem 3) *mutandi* & *permutandi* notio ei vocabulo tribui potest. Qui *primam* adoptant, cum auctoritatem veterum metaphorarum v. c. τῶν ἁ. tum sensus simplicitatem, vñlumque verbi frequentiorem adlegant; quae etiam

etiam LVTHERVUM in has partes traxisse videntur caussae. Syntaxeos, quod tirones morari posset στλεινοφανες solide, suo more, dispellit ven. D. CHRIST. BENED. MICHAELIS, Prorektor h. t. Fridericianae magnificus, in *Dissertatione de Soloeismo Casuum §. XXII.* Vnum tamen obisci potest, quod radix נְדָבָן cum frequenter obvia sit, nusquam tamen in *fisti-*
nandi notione capienda, *prima conjugationis formam* induat. Itaque aliis interpretibus ut COCCEIO, TILLIO, TREMEL-
LIO, verior interpretatio arcessenda videtur ex loco Exod.
XXII, 15. vbi idem in eadem (*prima*) conjugatione verbum
occurrit, non ut *primitium* ibi, sed ut *denominativum* se ha-
bens; quippe a nomine נְדָבָן quo hebrei *dotem* significant,

(similiter ut latinorum a *dote dotare*,) deflexum. Enimuero quamus versio haec haec tenus praferenda videatur priori, quod usum biblicum pro sestantem habet, non videtur tamen omnes numeros veritatis habere. Est enim in consuetudine ac more orientalium quod sententiae isti, in quam alias fre-
quenter pedibus itum est, fauere nequeat. Quodsi enim quid in contrahendis matrimonitis, antiquo praesertim tempore in
more positum fuerit Orientis gentibus (s) recordemur, oc-
curret, non tam sponsam sponsō, quam hunc illi dotem attu-
lisse. Conf. praeter alios auctores cl. LACKEMACHERI *Ob-*
servat. Phiol. P. IV. p. 76. et plerosque interpretes ad Gen.
XXIV, 3. XXXI, 15. XXXIV, 12. etc. Iam cum admissa illa similitudine, Christus ut sponsus, pro quo alii ab ἀπόστολοι eli-
gerentur, repraesentandus esset, alienior ab re illa censenda
est dictio; neque ad ferri poterit exemplum quo, ut Ex. XXII,
15. sponsus sponsam, item sponsa sponsum *dotare* dicatur.
Vidit hoc telum illudque exire voluit doctissimus HERM.
WITSIVS, qui ita dictum nostrum explicat *Miscell. Sacrae*
Libr. C 2

(s) Manavit ut multa alia Orientis instituta idem mos ad Graecos, priscos
illos certe, quod vel ex Homericis versibus Iliad. IX. 146. sq. colligitur
atque etiam Solonis quadam lege cautum fuisse dicitur. De prisa
Germania similia habet TACITVS de moribus Germanorum c. XVIII.
vid. etiam VIRGIL. Georg. I. 1. v. 3. cum notis editionis EMMENES-
SLANAE.

*Libr. II. Dissert. II. §. XXXV. QUI ALIVM DOTANT
i. e. qui relicto Te vero deo et me unico mediatore, alium eli-
gunt, cui se dedunt veluti marito suo; idque iniqua bac con-
datione, ut non accipiant ab eo dotem, sicuti aliquin moris est,
sed dotem ei dent.* Ita WITSIVS. Satis quidem ingeniose;
modo ne id quod omnino recte dicitur si rem spectes, in tex-
tum illatum longiusque petitum videatur, in quo nullum ap-
paret similitudinis ex re matrimoniali ductae vestigium.

§. XXII.

*Continetur Communandi ideam tertia hypothesis vocabulo מְרוּךְ applicat, idque ob conuenientiam cum מְרוֹר quae radix istam notionem sine dubio habet. (t) Ipsa sententia ex hac versione emergens facilis est, elegans ac simplex, ut parum absit quin eidem prae ceteris subscriptamus. Est tamen quod ad sensum quodammodo sustineat nostrum. Docebunt exempla, accusatiuum verbo מְרוֹר iunctum non obiectum notare quocum aliud, sed Q u o d cum alio permuratur, seu cuius in locum aliud substituitur. Sic Ier. II, II. Numquid mutare solet gens Deos (suos) - at populus meus mutauit gloriam suam cum (eo quod) non prodeft? i. e. me repudiauit, idola suscepit. Ad eundem modum in Psalmo nostro dicendum fuisse videtur, non מְרוּךְ sed מְרוֹר sci. בָּאָדָר. Iraque tan-
risper dum hic nobis scrupulus eximatur, in antiqua illa, quam primo loco posuimus expositione subsistimus. Neque forte huic nimis molestum esse poterit dubium (§. XX.) obmotum. Nam et aliae radices in prima et tertia conjugatione promiscue usurpantur ut חַלְקָה et שְׁמָרָה et חַלְקָה et שְׁמָרָה Ion. II, 7. חַלְקָה et שְׁמָרָה Ps. LXXXVIII, 16. etc. Caeterum quamcunque quis eligat sententiam, sensum non valde diuersum tandem, effici, in apercio est.*

§. XXII.

(t) Sic apud Chaldaeos frequens est, ex verbis Hebraeorum media Vau quiccentibus perfecta formare Verba, medium radicalem ח (mobile) habentia: Sic ex כָּל כָּל ex גָּהָר גָּהָר cert. Eriam in puro puto hebraismo simile quid curiosi harum rerum dependent.

§. XXII.

Quale fatum eos maneat, qui *ad alium festinant*, hoc est Reliqua ver-
 praeter Messiam feruide sectantur, vel suam propriam iusti-
 tiam, vel idola, vel alios homines, vel quidquid tandem sto-
 lida ipsorum ac peruersa mens Messiae praeoptat, audiamus
 ex ipius Domini ore, quod hic vere acuro et anticipi gladio
 comparandum videtur Ef. XXXXVIII, 2. Multiplicabantur
 dolores ipsorum i. e. poenae dolores adlatura grauiissimos,
 (neque enim τὸν עַצְבּוֹן satis commode *idola* verti a quibus-
 dam credimus.) Non libabo, ait, libamina eorum, (quae
 sunt) de sanguine h. e. cruenta, foeda atque abominanda.
 Hanc explicationem (nihil enim attinet aliis nunc immorari)
 ut facilem, reliquis, quae nobis quidem se obulerunt, praeferimmo-
 sumus, quam si non flagitant et vnice admittunt accentus,
 (negante illud b. D. MICHAELIS in Not. Vler. ad b. I.) certe
 non magis impugnare eandem, siue cum paucioribus codi-
 cibus in בְּלָאכִין Tipheba anter. ponas, siue cum aliis Munach
 infer. cf. DACHSELII Bibl. accent. et ad rem Num. XXVIII, 7.
 Audis hic sacerdotem, adeoque non Dauidem sed, quod su-
 pra iam diximus Dauidem, Messiam. Pergit autem: neque
 tollam nomina ipsorum super labia mea; quo ipso hos homines
 sibi βλέποντες esse contendit, ob caussam supra (§. XXI.) ex
 Ebr. X, 26. adlatam, quae *precibus ipsius sacerdotalibus* obsta-
 ret. Tum vero his peruersitatibus siue atque hinc oriundo ex-
 itio relictis, ad Deum redit Messias, in eiusque celebrandis
 laudibus iam totus est.

§. XXIII.

Laetior videlicet inde ab hoc comitate, usque ad extre Nonnulla pro-
 mun Psalmum scena panditur. Est vero et haec sacerdoti illustrande
 apta, et ad umbraticorum illorum V. T. sacerdotum iura at-quinto
 que instituta respiciens oratio: *Ieboua* (est) *portio partis meae commate*
et calix meus; in quibus verbis ἐμόσωι textus ebraici, sensu
 generatim expreso contentus, neglexit B. LUTHERVS, quae
 vero non male ex legibus ceremonialibus Moysiacis soler euoluit;

quamquam non in singulis conueniat omnibus quod nunc non disputamus. (v) Tu *suffentas* (nam sic pergit) *fortem meam*. Et *suffentandi* quidem significatum dubitanter τῷ στομάτῳ subiicimus, idque 1) quia verbum τέκνον quod proprio est manu tenere aut *suffentare*, vel quoconque modo *fuscare rem*, ne dilabatur ac cadat, hic minus eleganter cum נָרָל coniungi videtur, qua voce h. l. ad *portionem terrae* quae *forte* obrin gere solebar, respici credimus; quod nisi fallimur viro hebraice doctissimo 10. *coccero* occasionem praebuit a communi explicacione interpretum discedendi in *Comment.* ad Ezech. XXXXV, 1. quamquam ne sic quidem satisfaciat. 2) Quia exemplum *participii*, quod *Benoni* grammaticis dicitur, nobis quidem nullum visum est huic στομάτῳ extra controuersiam simile. Quod enim b. D. MICHAELIS ad hunc locum adscribit El. XXIX, 14. et XXXVIII, 5. קְנֵנִי יְסַפֵּךְ rem ideo non conficit, quod ad *futurum Hiphil* commode referri potest, intellecto pronom. relativo, quale quid est El. XXVII, 16. Iraque vterius inquirendum fuerit, anne et nostrum pariter ad Hiphilicam coniugationem verbi (in hebraismo biblico quidem alibi non obuii ac proinde forte ad ἀπαξ λεγόμενα referendi) τέκνον referre satius sit. Culus quidem significatum ex Arabismo conicereliceret, vbi deriuatum et harmonicum τέκνον vocabulum occurrit, quod *amplitudinem* spatii designat. Adi de hoc *GOLIVM* in *Lex. Arab.* p. 1274. Ut sensus dicti sit; *Tu* (o Deus), *amplificas fortē meam* s. *amplissimam* mihi fortē concedis in Iudeis scilicet er gentibus.

§. XXIV.

*Observata
ad comma
sextum.*

Arte iam porro cohaeret praesertim cum ultima versus praecedentis sententia *comma sextum*, Nam ut ibi *amplitudinem*, ceu paulo ante vero simile pronunciauimus (§. XXII.) *fortis*, suae, Messias praedicauerat: ita eiusdem *praefantiam* ac

(vi) Plerique *partem portionis* nihil aliud quam eximiā et *praefantissimam* partem dicere autumpant, ex idiomate quod pluribus stabilit GLASSEVS Philol. Sacr. Tr. de Nom. Can. XXXII. Alii aliter.

ac pulcritudinem his verbis edifferit: *Funes acciderunt mibi in amoenis, immo haereditas pulera est super me.* Non multi erimus in iis, quae ad phrasin ebraicam dilucidandam facere polsent, cum quidem haec apud plerosque interpretum praesertim recentiorum satis recte disputatione; quo pertinet e. g. quod *funes* hic non alii quam *menfori* intelligendi sint (patribus quibusdam ciuitatis christianaæ, qui vel de funibus quibus Dominus in passione vinclitus est, vel de amoris vinculis hic cogitarunt, nimis aperte alucionibus); quod *deinde*, vñitata in codice ebraeo metonymia ipsa portio his funiculis mensurata hoc nomine veniat, quod *porro* vñsurpatum hoc loco verbum נס ad fortis respiciat, quæ coniectas hoc vel illo modo *cadebant*. Sic circa vocem נס leuis dissensio est, vrrum *de locis amœnis* (adeoque neutraliter) capienda sit, an *personas* denoret, vbi prius quidem ob elegantiam, quæ hoc modo similitudini rectius constare videtur nobis praeferendum viderur, cum secus videatur SCHMIDIO, quocum tamen, si rem ipsam spegetes, nulla nobis pugna est. Sed missis his, duo tantum observare liceat. *Primum* est, quod quamquam dici possit, posterius hemistichium, pro consuetudine Psalmorum, id modo cum illustratione quadam repetere, quod erat in priori propositum, hanc tamen alienum a re videatur, si prius ad eos potissimum referamus qui *ex Iudeis* in fidem erant religionemque Christi transiit, qui quando caeteri populares ob spretum Messiae sacrificium abominabiles se redderent (v. IV.) ipsius amoenaæ deliciae euaderent, Spiritus S. charismatis exornati. Ac tum quidem posterius membrum ad *gentiles* proprie spectaret, a cultu veri Numinis antea alienos, iam vero pro peculio et haereditate Messiae destinatos. Audiamus si placet, exponentem *de aeterno* patris sui *decreto* ipsum Messiam P. II, 7. *Pete a me* (dixit Jehoua pater filio) *et dabo gentes* (in) *haereditatem tuam* (נַחֲלָתֶךָ) *et terminos terrae possessionem tuam.* (*) Alterum quod obseruamus, ad posteriorem

com-

(*) Hoc modo vi particulae נס, quae in fronte est, sic sat, quae diversum quidab eo quod dictum est, atque eodem accedens quasi denotat.

commatis partem potissimum pertinet, cuius verba vel supplemento ex priori sumto sic verti possunt, *immo* (accidit mihi) *baereditas* (quae) *pulcra* (est) *super me* vel citra haec complementa: *etiam baereditas pulcra est mihi* (sc. super me). Rarior omnino ex electa ἔστιν est, cum *pulcrum alicui esse* (רַבָּשׁ) dicatur, quod gratum accepimusque est, quod placet. Conferriri potest ex chaldaismo biblico geminus locus Dan. III, 32. et propior nostro, immo plane quoad syntaxin conueniens Dan. IV, 24. Humani aliquid passus est doctissimus FRIDER. ADOLPH. LAMPIVS (y) quando haec ita interpretatur: *Ein schön Erbteil ist über mir*; ad pectorale pontificis maximi וְיַעֲשֵׂה respici putans. Ipsa grammatica, ut alia raceamus, refragatur, cum forma שְׁפָךְ verbum, non nomen indicet in quo prima vocalis abiicienda fuisset.

§. XXV.

Illustratio commatis septimi a) quoad membrum I

Comma septimum gemina praecipue illustratione egere videtur, quarum vna *ad prius*, *ad posterius* altera se refert hemistichium. *Benedicam lebouae*, (Mellias ait, laerum perfectionum suarum euentum fiderint animo prospiciens) *qui consilium mihi dedit*. Mittimus hic, quod quae vernacula versio in praesenti tempore effert, secundum proprietatem sermonis authentici (אָכָל) ad futurum tempus pertineant, ad consummationem eiusque periodum proprie referenda, et cum iis quae in aliis Psalmis eiusdem argumenti pluribus rem efferunt, comparanda, v. e. gr. Ps. XXII, 26. LXVIII, 31. 32. CXVI, 12. sqq. Praecipua autem quaestio hic circa verbum עִזָּתָנוּ le nobis offert. Thema יְיֻדָּכֶם in ebraeo codice notionem obtinere, haud insitabilitur, qui exempla obvia attentius considerauerit. Significat enim vel 1) *consilium dedit*, vel 2) *praedixit sc. promisit*. Altera neminem ex iis qui Lexica ebraica considerunt, altera, quam posteriori loco possumus, plerosque omnes illorum, ut remur, fugit. Est autem illa quidem

(2) In expositione vernacula psalmorum quorundam quae hoc ipso anno globo eccl. lucem adspexit Lemgouiae.

dem non modo ex analogia aliarum radicum orientalium, utramque notionem coniungentium probabilis, sed ex loco Num. XXIV, 14. facile euincenda, in quo receptior exppositio (consilii ideam retinens) si non plane aliena, at certe fatis coacta est. Atque hanc ipsam notionem, scriptor quidam doctissimus, ante aliquot annos huic nostro loco ita vindicatum iuit, ut versionem vernacularum, et a plerisque adoptatam, prorsus locum neget habere, alteram vnicē veram pronunciet. A quo iudicio viri docti modeste dissentire liceat. Quamquam enim et illam nouam versionem interpretationemque bonum atque commodum sensum fundere, facile concedamus: (2) ramen cum antiquior, et in versione B. LUTHERI adoptata interpretatio, visitatiorem pro se habeat vocis γυ significatum, a quo non sine graui caussa recedendum, praferenda hoc quidem ex capite alteri illi fuerit, dummodo cetera paria sint, quod ira omnino esse persuasum habemus. Namque vulgarior versio sententiam exhibet, nec a re atque causa quae agitur abhorrentem, nec a sermonis contextu. Nam si quis queratur, quodnam consilium dicat Psaltes ex persona Messiae, (cum illud expressis verbis haud indicet) responderi iure potest, illud de redimendo per viam crucis & passionis mortisque, generre humano; quod consilium ipse filius iam ἐντεξει πραece. ptum vocat quod pater sibi dederit. lo. XIV, 31. Decreta autem actaque Dei, quae praecipuum quoddam momentum trahunt, ita in sacris describi passim, ut consilii et consultationis quasi cuiusdam praeuiae mentio fiat, humanis rebus ad diuinis translati, fatis notum est. Nec vero alienum videri potest, de hoc ipso nos hoc loco cogitare, cum totus psalmus se ad hoc consilium beneplacitumque patris (Pſ. 40, 9.) referat, cumque status ille, per quem ad promissam gloriam transeundum erat, et in quo consilium diuinum perficiendum erat, ob oculos positus fuerit loquenti, prout ex v. 8. colligimus. Vix est, ut vereamur, ne quis postulet, claris verbis id addi debuisse; Quis enim nescit variciniorum hoc esse ingenium, hanc in-

D dolem,

(2) Laudabo dominum, qui mihi praedixit, scil. laetum perpessionum euenum, et tanto labore digna praemia.

dolem, ut obscuritatem quandam secum trahant, suisque
quasi velis atque intregumentis obtenta sint, quibus per euen-
tum ipsum plenissime euoluuntur.

§. XXVI.

b) quoad
membrum II.

Quae altera buiis commatis parte sequuntur, ad declaran-
da et confirmanda dicta pertinent. Etiam (in) noctibus ca-
stigant me *renes mei*. Per נִילָה intimos celerrimosque ani-
morum motus, desideria et cupiditates, passim in ebraeo
codice notari, neminem vel mediocriter exercitatum fugit.
Sic lobus, *Confundi sunt*, ait, *RENES mei in sinu meo*, cum
se summo quasi confessum dicere veller desiderio. Hinc est,
quod omniscium illud Numen Psalmo VII, 10. et alibi-dica-
tur *cor et RENES explorare*: vbi sicuti ex vsu saltet frequen-
tiori ebraeorum, vocabulum בְּ eam animae facultatem, qua in-
telligimus et cognoscimus denotat, ita alterum quod hinc ad-
iungitur, eam commodissime designat, qua res agnitas cupi-
mus, desideramus, volumus. Iam verbum רַבָּ, quo sacro-
sanctus orator noster virtut disciplinam f. παιδείας generatim,
omnesque quibus ea absolvitur partes denotare potest. Cum
vero non minimum sit munus eorum, quibus aliorum institu-
tio et formatio commissa est, vt monitis frequentioribus ex-
cident, quos sub cura ac disciplina sua habent, iisque tamquam
faces quasdam et stimulos ad praecleara quaevis adhibeant, sit,
vt hoc ipsum passim locorum *praecipue* in hoc verbo intelli-
gatur, vt non male hoc loco nostro reddi queat *renes mei in-*
stant, excitant, impellunt me. Conf. usum harmonici voca-
buli παιδείας Tit. II, 12. Negat ergo tacite quasi, seruator
optimus, externis sibi monitoribus opus esse, siuum ipsius
animum, quem totum caeleste illud spiritus sancti oleum im-
buerat, ita affectum esse, vt ad ea quae patri probentur ac
placeant, non segnis sit atque torpens, sed ipse potius se instiget
atque inciter. Absit enim, vt *caſtigationes*, quas dicit, *renum*
proprietorum Dominus, de elenco clandestino conscientiae,
eiusque, vt vocantur, morsibus capiamus, quale quid in Chri-
stum τὸν ἀναπάγοντον nullo pacto cadit, quem nec homines vl-
lius

Ius criminis arguere potuerunt Io. VIII, 46. nec villa in re minima, propriae mentis conscientia reprehendere. Si porro quaeras, quam ad rem impulsus isti motusque sanctissimi ipsum adegerint, non male quidem responderi potest, et plerumque solet, ad patris de redimento genere humano consilium perficiendum, arcana quibusdam igniculis incitatum fuisse seruatorem optimum: caeterum recte etiam ex praecedenti propositione aliud quiddam supplementi loco adhiberi posset, nempe: *instigant me renes mei* (ad laudandum Dominum); dixerat enim *אָכְרֹךְ אֶת יְהוָה*. Licer etiam vtrumque coniungere, velaque adeo sensus, vbi ab ipso texu sacro non restringuntur, latius pandere. Restar, ut *μεγαλούσιον* illud etiam tangamus, quod in hac sententia commemoratur: *etiam in noctibus.* f. nocturno tempore. Simplissimum hic est, ex nostra quidem sententia, si hac dicendi ratione continuam rei durationem, et nulla intercapedine ac vicissitudine distinctam atque intermissam, verbo, *perpetuitatem* notari dicamus. Plenius potuisset efferri: *dies atque noctes* quo quasi proverbiali dicendi modo, in eam quam diximus sententiam, ebraei vtruntur v. c. P. l. etc. nec abhorret aliarum consuetudo linguarum. Alii *μετανόητος* quidam hic sc̄iantes, de *calamitatum* perpessioneumque tamquam *noctibus* nos iubent cogitare, metaphora non insufata quidem alias, huc tamen circa vel commoditatem vel necessitatem saltem translata.

§. XXVII.

Quod Messias antea (v. VII.) professus erat, *se bene-Argumen-*
dicturum Domino h. e. laudibus meritis ornaturum esse, elati- tum reliquo-
tumque patrem caelestem, eius quasi quaedam specimi- rum communi-
tarumque patrem restant verba vere aurea, tum genera-
tim indica-
Et enim in eo totus Messias, vt patrem quem ob iniicitam,
qua in se tuendo ac defendendo usus erat vim, maximum, tur et non-
ob indulgentiam benevolentiamque suminam, optimum vene-
rabarur, laudibus eueheret, mortales in harum rerum sortem
nulla ad octauum
adscitos inflammaturus ad idem studium, iisque vt in aliis, ira
er

et in hoc munere, exemplum praeturus omnibus numeris absolutum. Laudat igitur primo Deum, ut unicum ac fortissimum defensorem suum, qui *ita ad dextram sibi fuerit*, cum vndeque ab hostibus infestis appeteretur, nullum ut periculum esset, ne cuiusquam imperio violento a gradu depulsus labaseret. Conferri cum hoc effato ea potest oratio, quam eidem Messiae Esaias tribuit c. L, 6. fqq. in qua plura in eam sententiam, quae hic paucis verbis comprehenditur, egregia et magna cum emphasi dicta deprehendimus. Nam, ut ad nostrum redeamus Psalmum, veteriori cuiuslibet meditatione digna sunt, quae sequuntur dulcissima verba: *Proposui Iebouam mihi perpetuo.* Nos cum singula fusius exponere nequeamus, digitum tantum ad summa rerum capita intendimus, ductum & auctoritatem aliorum scripturae oraculorum sequuntur. Reuocant ergo haec verba nobis in memoriam 1) *amorem illum tenerimum*, quo pectus sanctissimum Domini in patrem flagrabat, qui effect, ne vnumquam ex oculis quasi mentis dimitteret illud obiectum summe amabile, cuius aeternum satiandus erat aspectu. Cogitare idem effatum nos iubet 2) *de reuerentia illa et euλαβεια*, ut cum scriptore Sacro loquamur (Ebr. V, 7.) qua in eundem erat religiosissima; vnde prono quasi alueo sequitur 3) *studium* nunquam interruptum perficiendae voluntatis diuinae, illiusque quod imis medullis defixum haerebat mandati paterni, quam in rem cf. Ps. XXXX, 9. Ioh. IV, 34. III, 21. Sic Dauides, *Omnia iura eius in conspectu meo sunt, neque statuta ipsius recedere a me patior*, Ps. XVIII, 23. Cohæret cum hoc ipso momento 4) *studium* ardentissimum promouendae per negotium quod suscepserat diuinæ gloriae; vide quae in oratione sacerdotali ipse hanc in rem ex intimis animi recessibus promit ac proferri Io. XVII, 1. 4. 6. 25. 26. Tandem 5) cum ob oculos sibi continuo versari dicit Messias Dominum, ad *promissiones* simul respicit de felici atque exoptatissimo perfectionum suarum: *eulementu, veracitatemque* Dei et in seruandis promissis *constantiam ac fidem* quamquam sacram spei suae ancoram amplectitur.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Quae *tribus extremis incisis* comprehensa sunt, grauissimi momenti verba, clavem quasi, qua totius Psalmi penetralia referanda sint exhibent, præsertim si testimonium illud apostolicum, cuius iam supræ mentionem fecimus (§. VI.) et quod liqua commad haec ipsa pertinet verba, conferamus. Sententia, si genemata coram rem species, haud obscure eo reddit; „vt Messias non modo alias perfections animiac corporis, verum et ipsum illud impontur. *πάθητα το θεάτρα* (Ebr. II. 9.) animo praeuidens, profiteatur, sibi neque hoc extremo quasi telo animum labascere; quippe quem dulcissima certissimaque spe sustentaret munierque, fore vt corpus vita cassum sub tutela omnipotentis Dei suauiter requieceret, sic vt nihil in illud liceret vel alii iniuriae, vel huic quacæ caeterorum vulgo corpora hominum statim a morte inuadit, corruptioni; fore etiam, vt excitatus ex sepulcro vitam ingredenterur perennem et *ανατίναξος* (Ebr. VII. 16.), exsuperante omnium bonorum copia adfluentem.“ Huc, inquam, ea quea com. VIII. X. et XI. leguntur redire, quibus attentus lector facile vider. Sunt tamen si ipsa verba specimen nonnulla, de quibus fusius disputare licet, et vero est ab aliis disperatum. Nos, pro instituti ratione breuitati inferiendum ducimus, non relaturi huc aliorum vel recte vel secus cogitata, multo minus in controversiam illam questionem de descensus Christi ad inferos ratione quam ex v. X. nonnulli declarare et determinare volunt, excursioni. Sed tribus potius obseruationibus ad verba sacri contextus additis, praecidemus. Primum quod monemus, ad vocabulum בְּנֵי perrinet. At enim Dominus (v. IX.) *laetatur cor meum et exultat GLORIA MEA*. Dictionem poeticam esse, qua non temere quis, nisi in sublimiori dicendi genere vtratur, nemo non videt. Itaque LXX interpres, vt solent passim non tam pressa versione, quam interpretatione liberiore vti, vocabuli vim ita reddiderunt ἡγέρσσα με. Arque hoc ipsum Apostolus Petrus, aut si maius Lucas, Actuum Apostolicorum scriptor c. II. 26. retinet. Quo factum, ut nonnulli religioni sibi ducant aliam illi vocabulo vim potestateque tribuerent.

D 3

Enim-

Enimuero certum est, scriptores N. T. in citandis dictis V. T. criticos philologosque non agere; ac proinde interdum paulo a liter de his vel illis statuendum esse, si ebraica veritas adhibeatur. Iraue quamquam et hoc, quod septuaginta seniores et cum iis textus N. T. exhibet, commodam sententiam fundat: (aa) praefat tamen ad ductum parallelismi Gen. XXXXVIII, 6. qui hic commodissime quadrare videtur, *animam Christi, meliorem humanitatis eius partem* intelligere. Et hac ratione membra commatis nostri bene sibi respondent, ut prius de *anima* hemisphericali, alterum de corpore Domini agat. Inest etiam, ut hoc obiter adiciamus, in priori membro gradatio, eaque partim in subiecto, partim in praedicato. Nam quod ad illud attrinet זכְרָה superiores, quas vocant, animi facultates denotare videtur, alterum autem quod exposuimus vocabulum omnes omnino animi facultates et tamquam partes comprehendere, quarum nulla exfors esset illius laetitiae. In praedicatis id quod posteriori loco ponitur (גּוֹל) efficiens quiddam sonare, quam quod praecedit (שְׁמַחַת) tralaticium est. Sunt etiam, qui per gloriam Christi, diuinam eius naturam, πνεῦμα illud αἰώνιο (Ebr. VIII, 14) intelligent. Sed cum ea quae de diuerso stitu Christi Psalmus noster habet, proprie ad humanam naturam pertineant, malumus in priori sententia acquiescere. Deinde cum circa vocabulum שְׁבִנָה in eodem commate obium, facile quis haerere queat, et minus illud accommodatum reputare ad sepulturam Christi, seu tempus illud nondum tridui integri spatium implens designandum, quo tamen rectissime tota refertur sententia; via nobis duplex ad soluendum hoc dubium patere viderur. Vel enim verbo שְׁבֵן h. l. non habitandi notio sed quiescendi tribuenda est, (a qua altera illa profecta esse videretur) plane ut Prou. VII, 11. vbi illud לֹא יִשְׁבֶן רְגִילִירִז verterunt: (vid. etiam Nah. III, 10.) Vel ex meta-

(aa) Eundem significatum quadam modo stabilire videtur Venerab. BEN-GELIVS in Gnomon. Novi Testamenti ad Act. II, 26. „Denotat, ait, ipsum naturae florem, qui vel maxime per lingnam, vocem, cantum, se exferit etc.“

metaphorica locutione Orientalibus familiari illustrari res potest, quum ut *domicilium* s. habitationem defunctorum sepulcrum sibi repraesentant conf. El. XXII, 16. vbi synonyma et קבר מישׁן esse appetat, itemque Cohel. XII, 5. quem ad locum vid. *notae* Viri Clar. IO. DAV. MICHAELIS, *paraphras Ecclesiastis germanicae subiectae*. Tandem quod ad posteriora commatis decimi verba attinet, לְאַתָּה שָׁמֵךְ לְרֹאשׁ שְׁחִתָּה duplice illa quidem sensum admittere videntur, cum nomen vel corruptionem ebraicis (bb) vel foueam (cc) (sepulchrum praesertim) denotet, vt adeo vel plane neget persona loquens, se in sepulcro positum iri, vel hoc tantum inuitat, se corruptionis et putredinis expertem fore. Sed posteriorem significatum et antecedentia flagitare videntur, et maxime euentus, quo ad collustrandum hoc vaticinium omnino vi licet.

F I N I S.

(bb) Ex radicis שְׁחִתָּה usitata notione,

(cc) Pl. VIII, 16. cf. Cocc. Lex. in שְׁחִתָּה cuius conciliatio ytriusque sententiae non inconcinnia videtur.



E

COROL.

COROLLARIA.

I.

Admirandum iustitiae et misericordiae diuinae tem-
peramentum exhibet doctrina euangelica, de re-
demtione hominum per Christum, in qua do-
ctrina, nihil quod sibi vere contrarium sit, tanta de-
prehendit ratio.

- II. Quamquam euidens et luculentum sit Euangelii de
Iesu Christi merito testimonium, tamen verum ac
salutarem eidem assensum praebere homo nequit,
nisi Spiritus sancti operatio accesserit, quam sub
specioso fugiendi fanaticismi praetextu negare, id
quod nonnulli nostra aetate faciunt, nihil aliud
est, quam pelagianismum pseudothyro in Eccle-
siam intromittere.
- III. Non restriktam ad quandam humani generis par-
tem Dei gratiam, sed ~~anterior~~ erga oblatam gratiam,
causam exitii esse pereuntium, et Psalmus XVI. et
alia testimonia S. Scripturae omni aleae eximunt
dubitacionis.
- IV. Nusquam scriptura pereuntibus spem aliquando
ex exitio emergendi facit, neque locus illustris
Ez. XXXXV, 23. 24., rite inspectus, in eam senten-
tiā trahi potest, vt a recentioribus quibusdam
~~posterioribus~~ patronis non sine specie veri fit.
- V. Sanguinem Christi extra corpus in coelis existere,
hypothesis est idoneo scripturae fundamento mini-
me subnixa.

PRAE

PRAENOBILISSIMO
ATQVE
ERVDITISSIMO DEFENDENTI

S. D.

P R A E S E S .

Non committam, ut nullis meis litteris comitatus, in cathe-
dram me disputatoriam comiteris, DILECTISSI-
ME FISCHER! Neque enim nihil referre arbitror,
ut et aliis, qui has forte paginas adspiciunt, constet, quid spe-
rare de TE, atque adeo confidere liceat. Cuius quidem rei,
baud admodum multi erunt, opinor, qui aeque locupletes auto-
res atque ego esse queant, qui iam multis abhinc annis cogniti-
tum TE habuerim, diligentiaeque, qua ad bonas litteras,
praeclaro ingento, flagrantia studio, successuque a summo Numi-
ne fortunato incubuisti, testis et tamquam spectator fuerim.
Emensus enim scholae inferioris ordines omnes, iam tum con-
filium approbabas mibi institutumque tuum, quod animaduertii,
TE minime ex eorum numero adolescentium esse, quibus maturava-
re quam maturescere satius videtur, et qui dum severa lege in lit-
teris proficere nolunt, non dubitant cruda adhuc atque immatura
studia in academias propellere. Neque possea cum auspicato
stadium esses academicum ingressus, a TE discessisti, sed dili-
gentiae perpetuitate et in iis litteris commendabilis atque con-
spicuus fuisti, quae ab humanitate nomen habent (quibusque TV
neutiquam, ut nunc fere sit, nuncium mittendum putasti) et in
sublimioribus grauissimisque disciplinis, quas obiter salutasse
baud.

baudquaquam **TIBI** satis fuit. **Quam feliciter in utroque**
genere studiorum **TVVS** sit versatus labor, cum ex opera,
quam iam inde ex aliquo tempore in iuuentute academiae praef-
paranda utiliter callocas, tum ex aliis documentis perspectum
habeo, quorsum etiam specimina doctrinae et philosophicae et theo-
logicae in priuatis, quae me moderatorae habentur, disputationibus
edita referenda sunt. **Faxit supremum Numen, cuius unius**
beneficio, et dotes ingenii ad litteras nati paeclaras, et successus
studiorum felices, et innumera alia munera, quid? quod
TE ipsum debes, ut his rebus omnibus ex sua sententia,
atque adeo quam optime utare. Atque hoc nimirum futurum
est, si ita **TE semper a Spiritu Domini animari, atque hoc**
sensu penitus imbui fueris, ut cognitionem Iesu Christi, longe
ante omnes alias scientias pulcherrimam reputes, sique ad hanc
tanto maiori contentione incubueris, quanto maiori intervallo
haec omnia post se relinquimus, in quibus operam abutimur mor-
tales, et quae cum tempore sunt ipso peritura. Et huius qui-
dem studii, quod vitae aequale esse debet, si aeternum vivere atque
felices esse velimus, admonere **TE** queat, ipsa haec, cuius de-
fensionem suscepisti tractatio, eiusque argumentum, quod ad
eundem spectat, Scripturae oculum, Christum, quo vnicce de-
lectati tanto ante sunt Danides aliique **DEI amici ac fami-**
liares, quorum vestigia nobis sunt ad imitationem propo-
sa. Quod restat, communi huic salutis reparatori ac vindici
commendatus et consecratus, felici porro laborum **TVORVM**
conatuumque omnium successu utere ac fruere, viribusque cor-
poris et animi integris res **TVAS** age rectissime. **Vale.**
Dab. Halae in regia Fridericana d. X. Oct. clo lo CCCLII.

94 A 7362



St.

Farbkarte #13

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black



EXERCITATIO
EXEGETICO-PHILOLOGICA
AD
PSALMVM XVI.

QVAM
IN REGIA FRIDERICIANA
PRAESIDE
GOTTLIEB ANASTASIO
FREYLINGHAVSEN

SVMME VEN. ORD. THEOL. ADIVNCTO
ERVDITORVM EXAMINI

PLACIDO
D. OCTOBR. C¹⁵ IO CC LII.

H. L. Q. C.

SVBIICET
IOANNES ANDREAS FISCHER

CROPPENSTADIO · HALBERSTAD.

HALAE MAGDEBURGICAE
LITTERIS ORPHANOTROPHEI MDCCCLII.